



1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.





DISPUTATIO INAUGURALIS

108.

DE

7645,1.

CONATU PUNIBILI

Quam

22

Divinâ assistente gratiâ,

*Authoritate & Decreto*

NOBILISSIMI AMPLISSIMIQUE  
DOCTORUM ORDINIS, IN CELEBERRIMA  
ARGENTINENSIVM UNIVERSITATE

*Pro summis in Utroque jure cum honoribus,  
tum privilegiis doctoralibus consequendis*

Publicæ ac solenni disquisitioni subijcit

*Die 28. Augusti*

WOLFGANG-THEODORICUS BADERUS,  
GEMMINGENSIS.



ARGENTORATI,

Typis FRIDERICI SPOOR.

M. DC. XLV.





LIBERÆ ET AUGUSTÆ  
SS. Imperii Romano-Germanici  
REIPUBLICAE FRANCOFURTANAE  
Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo, ac  
Eminentiss.

SCABINATUS, CAETEROQUE;  
SENATUS ORDINI UNI-  
VERSO,

Justitiæ ac Ecclesiæ Cultoribus  
Egentium Adjutoribus  
Musarum Patronis

*In ara æternum-debitæ gratitudinis*

Hasce suas Inaugurales meditationes  
humillimè

devote

consecrat

offert

*Tantæ MM. NN. ac AA.  
addictissimus*

WOLFGANG-THEODORICUS  
BADERUS.





MAGNIFICI, NOBILISSIMI,  
AMPLISSIMI, &c.

**P**ericulosum lubrica in hac mundi senecta, ubi videlicet quadrata non raro rotundis mutari solent, de delictis, poenisve mortalibus interminandis iudicium. Et quo factum a praedefinito Iustitiae tramite recedit longius, hoc iudicanti est periculosius. Medietatem qui tenuere, beatissimi. Quotus vero quisque est, qui veram rei cognitionem interdum non ignorat. Ut plurimum nae illud beatitatis punctum praeteritur, nec divinae in hoc imagini parcitur, aut divi Trajani, impunitatem suadentis, saluberrimum auditur consilium. Sane, ut de materie saltem nostra unico verbo dicam, quanta quaso Dd. seu priscorum seu neotericorum caterva, quantus Interpp. cumulus, qui a via aequitatis iurisque longe aberrantes, sequaces in profundissimam erroris praecipitent abyssum. Quae crassissima Dd. comm. fallentia viam inquirendi veritatis regiam facem impertita, spicilegium saltem [messum enim imposterum promitto] faciendi campum adaperuit. Quae juris materies cum singulis ferme momenti in hodiernis frequententur iudiciis, oleum & operam me non perditurum speravi, si post Civilem, falcem etiam in uberrimam & hoc proh dolor! seculo fertilissimam facinorum immitterem messem, atque Conatus in eadem meos Vestris M. M. N. N. atque A. A. pravia impetratione submissem destinarem. Aliud quippe Vestro fastigio ac patrocinio, quo mihi haecenus non deesse volueritis,

A 2 ritis,

AE  
Q;





ritis, dignum invenire munusculum non licuit. Nec est,  
ut hoc ipso Curiam vestram satis superque prudentem &  
oculatam, quippe quæ eo utriusque cum severitatis, tum  
benignitatis temperamento, & in sago & in toga perpe-  
tuò usa toti est deprædicata orbi, ut partes neque à Justi-  
tia [quæ in Imperio Lumen & Numen felicitatis habet]  
neque à misericordia [quæ fortissimum errantibus Asy-  
lum] penitus excluderet, raritatis alicujus, quæ hîc nulla  
est, temerè arguerem, ut potius gratitudinis debitæ me-  
mor Vestris M. M. N. N. ac A. A. meas Musas ulterius, si  
licet, commendarem. Accipite quæsò, Patres Patriæ, se-  
reno vultu hanc devoti pectoris à Cliente hostiam. Cre-  
scite, frondete, florete, ceu constans palmæ robur, ceu  
felicissimæ frondis Cupressus, ceu flores roris marini, sua-  
viter etiam hyemali tempore spirantes, in adversa,  
secunda, & dubia fortunæ sorte, cum po-  
steritate in perpetua secula.

CUM



CIUM  
(  
ri, nau  
bus per  
i. e. à v  
res jur  
Cona  
das du  
tionem  
zuthun  
fangui  
Egone i  
die su  
Cateri  
Cogit  
de his q  
ficiis et  
proprie  
Trent.  
eò, qu  
verteri  
quid d  
cet cog  
dancke  
Jul. Ma







CUM BONO DEO.

THESES I.

**C**onatus (a) punibilis, (b) est actus externus (c) tendens ad executionem (d) voluntatis, (e) ad maleficium (f) directæ. (g)

Al

(a) Ne in præfenti hoc controversiarum periculofissimo mari, naufragio forte exponamur, procellofisq; adversariorum fluctibus perculli, inter portum & veritatis scopulos incerti diu hæreamus, i. e. à via in præfentiarum veritatis regia aberremus, inq; corruptores juris contra votum nostrum evadamus, ante omnia vocula, Conatus, ambiguitatem, ejusdemq; varias acceptiones explicandas duximus, omnimodam tum philosophis tum Philologis tractationem relinquentes. Est autem Conatus à conando germ. *etwas zuthun sich vnderfangen / vnderstehen / vnderwinden / unde vnderfangung / vnderwindung / vornehmen / de quo apud Terent. in Andr. Egone istuc conari queam? & Cic. 2. de Clar. Orat. ibi: conatum iracundie sue*: Notationem ulteriorem apud Lexicographos videre licet. Caterùm in jure variè Conatus vocula exprimitur. Vel (1) per Cogitationem ut in l. 5. & 6. C. ad l. Jul. majest. Nov. 135. Epil. l. 6. C. de his qui ad Eccles. confug. Unde Apulej. lib. 4. Florid. In maleficiis etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc, vindicantur. Minus propriè tamen hisce in locis voc. Cogitationis usurpari, Bachov. in Treut. disp. 32. vol. 2. p. m. 1229. ubi Cujacium 8. Obs. 22. erroris arguit, eò, quòd ejusdem voculae diversimodam acceptionem non animadverterit. Vide quoque Dn. D. Steuber. *tr. suo de Conscient. c. 1. p. 16.* quid de quovis sive Fori sive Poli foro in hoc dicendù; regulariter scilicet cogitationis pœnam aliàs nemo patitur, l. 18. de pœn. unde illud: *Bedanken sind Zöllfrey.* Vel (2) per voluntatem l. 5. princ. C. ad l. Jul. Majest. Constit. Crimin. Carol. V. artic. 178. ibi: *Solcher böser will.*

A 3

UM

Nec est  
tem &  
s, rum  
perpe.  
à Justi.  
habet]  
s Asy.  
c nulla  
tæ me.  
rius, si  
tria, se.  
Cre.  
r, ceu  
ni, sua.  
fa,





311  
 will. Unde Bronch. *miscell. contr. assert.* 63. inquit, jure Romano non tantum effectus punitur, sed etiam voluntas. Notabilis in hanc rem est D. Vultejus in sua *Jurisprud. Rom. lib. 1. c. 45.* confer Gothofr. *ad l. 18. de pœn.* Vel (3) per attentationem, ut in *l. 5. C. de Episc. & Cler. & alibi passim.* Vel (4) consilium denotat, ut apud Accurs. in *l. 15. §. 10. de injur.* ibi: *consilium seu conatum non sufficere, quod ipsum saepe notatum reperitur in l. 3. & ult. C. ad l. Jul. Majest.* Consule in hoc Jod. Damhaud. in sua *pract. crim. cap. 70.* Vel (5) *to* audere significat: (quo tamen Philologi minus, quam per *to* conari denotari volunt: ) *l. 3. C. de Jud. & Celic.* Vel denique per plures alias voculas exprimitur, de quibus legatur Barthol. Tæg. *tr. crim. part. 10. & seqq.* Rittersh. *partit. feud. c. 5. pag. m. 397.* & Cujac. in *recit. ad l. 1. C. si quac. prad. potest. & l. 225. de V. S.*  
 B. (b) De eo enim qui pœnæ non subjacet, agere mei instituti non est, sed qui ad maleficium directus & consequenter punibilis est.  
 C. (c) quem generis loco ponere libuit cum Bachov. *dicta disp. in Treut.* nec non cum Gloriosiss. Imperat. Carol. V. *d. artic. ibi: mit etlichen scheinlichen Wercken: actu seu facto externo, seu manifesto.* Aliud de interiori actu judicium. Nicol. Vigel. in *Const. crim. comm. cap. 2. p. m. 28. & C. magna. 5. fin. dist. 1. de pœnit.* Prosp. Farinac. *de homicid. q. 14. n. 105. & 106. & q. 124. n. 107.* De cujus actus punitio videantur Majorum rythmi apud Gôdelm. *tr. de mag. & venefic. lib. 3.* & Martin. Delrio. *disquis. tom. 3. lib. 5. sect. 1.* (d) quæ hoc loco nihil aliud est, quam productio manifesta ejus, quod vel occultè in mente latitavit, vel intentione jamdum proditâ effici plenariè non potuit.  
 E. (e) sive internæ sive externæ pro delictorum qualitate. Qualis autem & quotuplex voluntas sit vide Dn. D. Steuber. *d. tr. c. 1.* & num non etiam bonum interdum operetur? videatur *cap. 7. v. 20. Epist. Paul. ad Roman. 2. Corinth. 13. v. 5. Philip. 2. v. 13.* Huc referri non inconcinne potest Dd. distinctio inter Conatum voluntatis & facultatis; illum non in omnibus delictis pœnæ subjici puto; hunc ut plurimum, unde quibusdam Criminalistis *manus conatus* dicitur, da man bereits Hand angelegt und aber sein gânsliches vornehmen oder bessen willens Endschaft nicht erreicht. Differentia exemplorum suppositione fiet clarior. Notabiliter quippe in *l. Julia Majestatis cogitationis* particula supponitur. (f) Vel quodvis delictum, modò ut impunitatis libertatè non gaudeat, sed vel ex legis, vel facti evidentia  
 ejusdem

ejusdem  
 malefic  
 l. 3. §. 1.  
 procede  
 suam  
 sola f  
 (a)  
 scorum  
 hauderij  
 prechti,  
 riis & qu  
 atque Co  
 no 1639.  
 de arbit  
 viam qu  
 (b) ad ho  
 tà juris le  
 scilicet in  
 recedere  
 juris aut  
 eidem li  
 l. 1. §. 4. ff  
 Princeps  
 suaserit.  
 ret? ergò  
 jorem, &  
 dentiam  
 delicti fa  
 neque su  
 per quæ  
 municip.  
 persecuti  
 monent  
 bet judex  
 ad emoll



eiusdem pœnæ interminatio appareat. (g) impunitatem enim, ad malefictum non directa meretur Wesenb. *consil.* 269. n. 39. Ulpian. in l. 3. §. 1. *fin. ff. de sepul. viol.* Nec ausim non dicere, idem in utroque procedere foro.

THESES. II.

Huius conatus species duæ (a) sunt: altera suam formam (b) à lege habet: (c) altera ex sola facti imperfecti evidentia. (d)

(a) Quantum ex legibus ipsis, tum ex observantia Dd. & priscorum & neotericorum Criminalistarum: Farinacij, Menochij, Damhauderij, Gobleri, Cujacij, Wesenbecij, Tiraquelli, Berlichij, Carptzovij, Harprechti, Boteri, Vigelij, Tagij, aliorumque interpretatione, commentariis & quotidiana practica conijcere potui. Adde quoque Nobiliss. atque Consult. Dn. D. Taboris specimen Vindictiarum Carolinarum de anno 1639. quod ipsum ad periculosissimi hujus juris, ut inquit Menoch. de arbitr. jud. cap. 360. tractationem, fenestrâ mihi primùm adaperuit, viamque de hac materie disquirendi regiam quasi commonstravit. (b) ad hoc, ut punibilis taliter vel taliter fiet. Unde positâ seu mutatâ juris legalis formâ, ipsæ etiam pœnæ ponuntur, seu immutantur scilicet in terminis. (c) à qua iudici sine gravissimo sacrilegii crimine recedere non licet l. 3. C. de crim. sacrileg. & l. 5. C. de divers. rescript. neq; juris auctoritatem, quæ in potestate iudicis sita non est, pro lubitu eidem licet mutare per text. express. in l. 15. *fin. pr. ff. ad Municip. l. 1. §. 4. ff. ad SCr. Turpill. l. 12. §. 1. ff. qui & à quib. manumiss.* nisi forte Princeps sit l. 1. & ult. C. de legib. aut usus seu consuetudo contrarium suaserit. (d) Ergò altera seu prior species facti evidentiam non requirit? ergò hæc posterior nihil legis sanctionis mutuabit? At imò majorem, & in lege etiam specificatam citra pœnæ definitionem illa evidentiam desiderat, servato tamen discrimine, ut hæc quidem species delicti factum quidem facinorosum, sed imperfectum denotetur, neque sub ulla certa legalique pœnæ prædefinitione, sed cujus insuper quæstio facti in iudicantium arbitrium collata dicitur in l. 15. *ff. ad municip.* neque verò in hoc ad illimitatum iudicis arbitrium pœnæ persecutio indiscriminatim refertur d. l. 1. §. 4. *ff. ad SCr. Turpill.* sed imò monente Juliano in l. 12. *ff. de legib.* ad similia procedere necessum habet iudex, nec rationem excedere debet l. 13. *de pœn.* ut plurimū tamen ad emollitionem pronus sit l. pen. d. t. Uno proin' verbo dicam: hancce delicti

A

B

C

D

non  
rem  
fr. ad  
isc. &  
Ac-  
quod  
Con-  
s) rō  
dō co-  
per  
rthol.  
7. &  
V. s.  
on est,  
s est.  
Trent.  
lichen  
esto.  
omm.  
de ho-  
tione  
lib. 3.  
nihil  
mente  
otuit.  
item  
n non  
ul. ad  
cinnē  
tatis;  
pluri-  
a malt  
er bō-  
n sup-  
ogita-  
ut im-  
dentia  
usdem





delicti speciem non tam ex aliqua legis cognitione: (non verò certâ & solidâ ejusdem sive delicti sive pœnæ determinatione) quàm solâ facti evidentia & judicis arbitrio, in jure fundato, suam formam mutuât. Dn. D. Tabor. *dict. specim. th. 46.*

THES. III.

Prior (a) conspicitur vel in gravioribus delictis (b) puta: crimine (c) læsæ majestatis, (d) parricidii, (e) adulterii, (f) Stupri, (g) raptus virginum, (h) viduarum, (i) & monialium, (k) homicidii, (l) assassinii, (m) Sodomix, (n) felonix, (o) furti: (p) vel levioribus delictis, (q) quando scilicet non quidem sine animo omninò delinquendi, (r) sed tamen alio quovis modo leviter saltem delictum est. (s)

A. B.

C.

D.

(a) De posteriori agetur *infra thes. 10.* (b) ratione tam inchoati delicti, quàm infligendæ pœnæ. (c) quod vocabulum interdum latè, interdum strictè pro maleficio, dolo malo, *sürsektlicher / musthwilliger / &* (ut Interpretes loquuntur) *widerrechtlicher weis* contra legis prohibitionem commissio, accusatione & damnatione digno accipitur, *per text. clarissimum in Can. orarium. 3. dist. 25. & t. t. ff. de accus. & de extr. crimin. Tib. Decian. in tr. crimin. lib. 1. c. 7. n. 2. & c. 9. n. 1. & s. & ibidem allegatos Dd. (d) l. 5. C. de crim. læs. majest. Jodoc. Damhand. in d. pract. crim. c. 62. Huc refer locum Jacob. Spigel. in comm. ad Gunth. lib. 8.*

— Ne quis fore credat inultum

*Quicquid in augustos ausus committere Reges*

*Vel meditatus erit.*

Eleganter Aul. Gellius in suis Vigil. Attic.

lib. 7. c. 3. pag. m. 273. causam severitatis in hoc delicti genere exponit, Injurias, inquiens, imminentes præcavisse justum est, quàm expectavisse. Summa enim professio stultitiæ est, non ire obviam sceleribus cogitatis, sed manere opperirive, ut quum admissa & perpetrata fuerint, tum denique, ubi quæ facta sunt, infecta fieri non possunt, pœniantur. Angl. in l. 1. §. ult. ff. quod quisq. jur. inal. Serius, ait, *pararetur vindicta, si eventus esset expectandus.* Tiraquell. tr. de pœn. leg. caus. 38.

num.



num. 10. adde Pac. in sua *Analys. in Cod. h. r. pag. m. 991. & 992.* Falsum itaque illud Dd. *de n. p. a.*: Cogitata scelera vel voluntatem hodie non amplius puniri. Sufficit enim hic eadem scelera in notitiam iudicis pervenisse. (e) l. 1. *fin. ff. ad l. Pomp. de parricid. l. ult. C. de sicar. (f) l. 9. §. 2. ff. ad l. Jul. de adult.* ubi sola tractatio de adulterio, etsi nihil dum admissum fuit, capitis supplicium incurrit juxta l. *divinam Deutr. 22. Levit. 22. Ezech. 18. l. 30. C. ad l. Jul. de adult.* Bachov. *d. disp.* Adde Constat. Carol. *artic. 120. & seqq. 123.* So wissentlicher gefährlicher vnd böshafftiger weiß ihre Häuser darzu lenhen/ oder solches in ihren Häusern zu beschehen gestatten/ sollen nach gelegenheit der verhandlung vnd Rath der Rechtsverständigen/ es sene mit verweisung des Lands/ stellung in Pranger/ abschneiden der Ohren/ oder außhawung mit Ruthen oder andern gestrafft werden. Sie in l. 1. *ff. de extr. crim. de sollicitatorib. alienarum nuptiarum dispositum legitur, quod confirmatur in der P. H. D. art. 119. §.* So sich aber: (g) *d. l. 1. §. 2. ff. de extr. crim. quid si virgo vel puella puerum ad stuprum sollicitaret? impunè eam non abituram putarem.* Exemplum hujus rei legitur in Sacris, *Gen. 39. v. 11.* De Potipharis uxore, cogente ad adulterandum castissimum Josephum, quod tamen ad lit. præc. potius referendum est. De filiabus Lothi, quod apud August. *l. 22. contr. Faust. c. 42. & 43. & Luth. in cap. 19. Gen. fol. 240.* refertur, verius illud facti quam conatus est. (h) *l. unic. med. C. de rapt. virg. nec requiritur citra raptus attentationem stuprum Menoch. conf. 360. de arbitr. judic. (i) d. l. unic. (k) l. 5. C. de Episc. & Cleric. canonizata in c. 6. dist. 1. de pœnit.* Putant hoc loco Niceph. Callistrat. *lib. 10. Eccles. hist. c. 39. & alijs,* delictum hoc in casu aliquantulum consummatum esse hoc ipso, quando impudici oculi in sacras Deoque dicatas virgines, quod summum putabatur esse nefas, fuerint conjecti. Et ita Pontificii subtiliter scilicet concludunt. (l) *l. 1. & 14. ff. l. 7. C. de sicar. §. 5. l. de public. judic. c. 9. dist. 1. de pœnit.* quamvis durum quibusdam videatur, nec attendenda est hic Welsenbecii distinctio inter actum consummationi proximum & remotum. Durior sanè illa apud Henr. Steph. *apol. pro Herod. in med. constitutio erat, ubi mulieres, si vinum bibissent, ac si adulterassent, punitæ leguntur, imò mulieri ingenuæ, seruo item ac ingenuo ante 30. annum vini usum sub gravissimâ pœnâ concessû non fuisse, videmus apud Bodin. lib. 1. de republ. p. m. 16. lit. D. ex Theophrasto.* Durior etiam illa legis dispositio est, quam in Palatinatus ditione in dem Odenwald Schönborn. *Polit. lib. 1. cap. 4. von Hagenstolsken* refert. Aliud certe hoc no-

E. F.

G.

H. I. K.

L.

B stro

certa  
m so  
nam  
  
OUS  
tis,  
TUS  
(k)  
elo-  
(q)  
O O  
UO-  
  
choa-  
um la-  
ywilli  
a legis  
ccipi-  
cus. &  
l. & s.  
hand.  
nm. ad  
  
Attric.  
ponit,  
pecta-  
leribus  
ta fue-  
nt, pœ-  
aretur  
auf: 38.  
num.





277  
 Atro casu dicendum, ubi non tantum civile, sed & naturale probrum  
 accedere videmus. confer Bachov. *d. disp. th. 9: pag. m. 1250*. De eo, qui  
 apud Moscovitas ad duellum aliquem provocasset. Adde huc *l.*  
**M.** *pen. C. de sic. & c. si quis. 10. dist. 1. de pœnit. (m) cap. 1. in 6. de homicid.*  
 quamvis mandatum hic potius, quam conatū notari, defendi possit,  
 uti in *l. 3. C. de jud. & Cœlicol. Wesenb. in Codic. hic*, mandantem cir-  
 cumcisionis crimē lege Corneliā *11. de sic. teneri ait*, pro faciente quippe  
 eum haberi *t. t. de homicid. in 6. & l. 15. ff. de sic. ar. De crimine assassini*  
 ulterius vide apud Just. Oldenkop. *in sua Cautel. crim. c. 10.* & Jacob.  
**N.** Menoch. *d. conf. n. 41. (n) l. 1. §. 2. ff. de extr. crim.* De crimine mastupra-  
 tionis notabiliter Jodoc. Damhaud. *in sua practic. crim. cap. de Sodom.*  
**O.** (o) *1. F. 5. de eo, qui cū Domini uxore concumbere se exercuerit*: Item  
 si vasallus domino insidias struxerit *t. 24. §. 2. v. porro. F. 2. & tit. 57. F. 2.*  
 de hisce text. consulatur D. Ritterhus. *partit. feud. c. 5. p. m. 397. fin.* huc  
 adjice *l. 28. §. 11. ff. de pœn. ubi servi igni concremantur*, qui domino-  
 rum suorum salutē insidiaverint. (p) *l. 7. ff. de extr. crim. item l. 21. §. 7.*  
**P.** *ff. de furt. vide Cujac. 10. Obs. c. 27. in med. adjice l. 1. §. 1. & 2. ff. de Effr.*  
*& Expil.* Ad graviora quoque delicta referimus Recess. Imp. *de an-*  
*no 1521. Wormatia & de anno 1548. zu Augspurg tit. die Pœn der Frid-*  
*brecher ibi: Jemandts Hoch oder Niedr Wellichen Standts/ wer*  
*der oder die wehren/ wider der eins oder mehr/ so vermeldt ist/ handeln/*  
*oder zu handeln vnderstehen würden/ die sollen mit der that: confer*  
*Recess. Imp. de anno 1555. Cammergerichts Ordn. p. 2. t. 9. Sic l. 6.*  
*§. 7. ff. de re milit. l. 3. §. 6. de bon. cor. qui mort. l. 38. §. ult. de pœn. Nicol.*  
*Vigel. in Const. crim. Carol. V. c. 7. fin. Item l. 3. §. 11. ff. de re milit. l. 3. C.*  
*de serv. fugit. l. 225. de V. S. P. D. artic. 128. ibi: Ob sie sonst anderst*  
*nichts mit der that gehandelt betten. Item l. ult. C. de crim. stellion.*  
 Ita quoque addimus *l. 6. C. de his, qui ad Eccles. confug.* Sic *l. 41. C.*  
*de transact.* quam legem ob suam summam duritiem practicari  
 amplius negat Roland. à Valle. *1. consil. 57. n. 46. Item l. 20. C. de furt.*  
*l. 1. ff. de serv. corrupt. §. 8. I. de Obl. quæ ex delict.* Item *l. ult. ff. de R. D. Me-*  
*noch. d. conf.* Adde etiam *artic. 68. Constit. Carol. Wo Zeugen et*  
*funden oder vberwunden werden: ibi: Oder zu bringen vnderstün-*  
*den: ubi eadem, quā putativus reus, si fuisset victus, pœnâ falsus te-*  
*stis afficitur per text. in artic. 107. d. Const.* Huc quadrat *l. 2. §. 19. C.*  
*de vet. jur. enucl.* Debuisset, si tempus id fuisset passum, cujuslibet  
 legis legitima & methodica inductio facta esse, id quod in poste-  
 rum promitto, atque benevolum lectorem, æqui bonique ut hoc  
 consu-



consulat, maximoperè rogo. (q) quâ ratione intelligi malim, *supra*  
*lit. B.* expositum est. (r) nam voluntas in delictis spectari debet. *l. 14. ff.*  
*de sicar.* ubi enim animus delinquendi prorsus abest, ibi verè non de-  
linquitur *arg. l. infans. 12. ff. d. t. l. 23. de furt. l. 2. §. 18. & 19. de vibon. rapt.*  
(s) Sic Edicto tenetur *l. 7. de jurisd. §. 5.* Ita conatus notatur *in l. 1. §. 4.*  
*l. 3. §. 1. & d. l. 1. pr. ff. de calum. nec non l. 1. §. 5. ff. de postul. l. 3. quod. quisq.*  
*jur. in al. l. 1. eod. l. 15. §. 1. ff. de injur. c. 13. dist. 1. de pœnit. t. unic. C. si quac.*  
*pred. potest. Pac. in Annal. C. h. t. n. 2.* Auth. Habita C. Ne fil. pro patr.  
*l. 11. ff. de injus voc. l. 1. ff. de furib. baln.* Non nego autem præter ad-  
ductos locos, alios adhuc inveniri posse in jure, tantùm enim egi,  
quantum temporis brevitatis permittit.

THESES. IV.

Punitur autem prædicta Conatus species  
(a) vel ordinariè, (b) vel extraordinariè; (c) illa  
pœna vel Principis statuto vel alia aliquâ lege  
(d) aut cõsuetudine, (e) certò est constituta &  
introducãta; hæc eo modo cõstituta nõ est. (f)

(a) à lege notata. (b) Ambiguè dicitur. Refertur enim vel  
ad crimina ipsa à Casistis, vel ad pœnam vide Jod. Damhaud. *in d. pr.*  
*c. 1. n. 1. & c. 55. per rot.* (c) i. e. non ut in lege aliqua vel statuto scripta  
reperitur pœna, sed à cujus vel severitate vel benignitate aliâ lege de-  
rogatoria vel abrogatoria latâ est recessum, quamvis etiam, prout jam  
recepta eadem est, ordinaria modò, modò extraordinaria dici possit.  
Deinde respectu processus etiam nomen sortiri hoc puto, ad quem  
multum facit & loci qualitas ac temperamentum. vide Bodin. *lib. 6.*  
*de Republ.* vel ubi delictum quidem notatum est, sed pœnâ extraordi-  
nariâ *t. t. de extr. crim. & art. 172. in der P. D. D §. si quis furandi animo.*  
ubi notabiliter arbitraria ad mortem constituitur. v. Gobl. (d) seu jure  
scripto. (e) non oppositâ juri scripto, aliâs enim extraordinaria pœna,  
ut modò dictum, non injustè etiam dicenda esset. (f) sed quæ vel alia  
lege lata evanuit, nec nisi respectu primitus tantum constitutæ pœnæ  
extraordinaria vocatur, argumento ab adulterij pœna deducto. Malo  
enim eam, quæ ab æterno Llatore est constituta, Deut. 22. Levit. 20.  
v. 10. Gen. 20. v. 3. Joan. 8. ordinariam appellare, quàm eam, quam  
summus rerum favor in hac mundi senectâ pecuniariam esse voluit.

B 1

Cate-

Q. 173  
R.

S.

A. B.

C.

D.

E.

F.



277  
Cæterum minus injustè statutariam & consuetudinariam, quæ sc. à jure scripto recessit, extraordinariam dici posse existimo, unde legitimis pœnis opponi eadem possunt. arg. l. 3. ff. de crim. stell. Damhaud. d. c. 55.

THES. V.

Sed num non ratione Conatus à jure communi hodie sit recessum? & num extraordinaria perpetuò etiamnum vel nulla secundum plerosque Dd. pœna imponenda?

Apud And. Fachin. lib. 9. contr. legimus id commune Brocardicum: In atrocioribus jura transgredi permissum est. In cujus sententiam pedibus ivit Prosp. Farinac. in suo tr. crim. q. 124. num. 78. ubi textibus & legibus de conatu loquentibus derogatum esse cum allegatis ibidem autumat. Clar. 5. sent. ult. q. 92. n. 1. cum JCTis Saxonici intrepidè sentiunt, à delictorum attentatorum pœnis esse recessum. Wesenb. parat. ad l. Jul. de adult. num. 5. ex Reinh. diff. pœn. 6. per c. 36. Eehenrecht & consil. 114. n. 33. Barthol. Tagius professor ad Lanum pag. 7. n. 11. tr. suo crim. allegans ibidem Bald. consil. 443. Cynum, Felinum, Capollam & alios, in atrocioribus statuentes, conatum eadem quidem lege, sed non eadem pœnâ plectendum; iisdem ferè assentitur, nisi quòd rationem in eo posuerit, ut, ubi delictum perfectum non sit, ordinariæ ibi pœnæ locus esse haud debeat, & jura, conatum punientia tanquam factum principale, hodie per contrariam & generalem consuetudinem, quam Cardinal. Alex. & Angl. conf. 24. cap. 1. cum sequacibus per totum mundum probatam esse tradunt, correctâ falsò opinetur. Alij & innumerabiles, textus plerosque juris, de actu, ut punibilis sit, consummationi proximo, pro lubitu indifferenter intelligi nolunt. Aliter D. Harprech. comm. ad §. 5. I. de publ. judic. n. 368. ubi animam h. e. rationem decisionis in prædefinitione, legifque expressâ determinatione, non attento præmemorato discrimine, an conatus delicto proximus sit, nec ne? posuit, atque Imperialib. rescriptis ac sacratissimis sanctionibus, à quibus judici temerè recedere non licet, in hætere maluit, quam Dd. multitudini, quæ certè veritati præjudicare nihil potest l. 1. §. 6. C. de vet. jur. enucl. calculum suum adjicere. Ego tam diu negantium partes geram hoc in casu propter l. 244. & l. 131. ff. de V. S. & l. 27. C. de testam. l. 32. fin. de appell. item



item l. 15. §. 26 ff. de injur. & l. 12. qui & à quib. manumiss. donec vel unicum derogatoriae vel abrogatoriae legis vestigium monstratur, aut illa universalis consuetudo probetur. Prajudicia in contrarium videri possunt apud Bodin. lib. 2. Rerump. civi. Jod. Damhaud. d. tr. c. 62. n. 10. cum Receptis. Imperij de anno 1555. §. Wir sehen / ordnen / statuiren / ibi: Sollen mit dem Schwerdt als Landzwinger von dem Leben zum Tode gericht werden / vnangesehen ob sie sonst nichts anderst in der that gehandelt hetten. Item: daß es auch dergleichen gehalten werde gegen denen / die sich sonst durch etliche Werck mit der that zu handeln vndersehen / (notandum obiter, videri posse, hanc phræseologiam ex Const. Carol. artic. 178. desumptam esse, ut inde ejusdem articuli vitiosa lectio, citra alias probationes, emendari commodè possit) verè assentitur. confer P. N. D. artic. 128. Christ. Schvvanman. Observ. pract. Cam. Imp. 30. & Gail. lib. 1. cap. 14. n. 9. de pac. publ. subjicit autem n. 12. judicem Banni pœnam in pecuniariam convertere posse per Receptis. Imp. de anno 1548. sub rubr. von Gewalt des Cammergerichts die acht vnd Pön derselben berreffent. p. m. 357. quo jure verò id fiat, facile conjici potest. De raptu videatur dictus Damh. c. 95. n. 15. p. m. 351. De crimine læsæ majestatis & Banni declaratione dubia satis & periculosissima inter Dd. quæstio movetur, an solus Imperator, an verò cum Camera Imperiali eo casu judicet? cum ultra captum nostrum sit, maluimus lecturos ad Informat. Donavvertens. p. 1. p. m. 120. §. So wird auch, & p. 146. ablegare, quàm leviusculum, imò temerarium facere spicilegium. Inde

## T H E S. VI.

Non tantum, dicimus, in atrocioribus sed & levioribus delictis pœnam ordinariam adhuc hodierna judicia fundare:

Roland. à Valle, ut supra notavi, l. 41. C. de transact. alii alias leges juris civilis esse mutatas asserunt; Idipsum autem concedi ita simpliciter non posse puto, donec & idem demonstratur. Contrarium potius ex Praxi communi Dd. adfertur. Ita legis primæ ff. ad l. pompa. de parricid. observantiam probat & eam obtinere dicit D. Berlich. in suis conclus. pract. §. concl. 6. n. 45. & seq. Henr. Bocer. tr. de om. gen. homicid. lib. 1. c. 5. n. 18. & seqq. adde Responsum Facult. Juridic. Tubingensis de anno 1625. apud Harprech. ad §. 5. I. de publ. judic. n. 386. Elegantis-



gantissimè in hanc rem acutissimus etiam juris Eucleator D.D. Waltherus, in Alma Lanæa p.t. Rector, præcept. meus honoratissimus, in suis prælect. publicis ad l. 1. C. de SS. Eccles. voc. Clementia, quid, ubi causa expressa in lege est, iudici faciendum etiamnum temporis, disseruit. De Incendiariis videatur dictus Berlich d. concl. pr. concl. 24. n. 19. 24. & 41. cum seq. ubi eos igni concremandos esse tradit, quamvis damni nihil datum sit. Id ipsum noviter exemplo puellæ, quæ anno 1614. 4. Sept. Francofurti, materiem combustioni ædium sine effectu licet, struxit, ob hanc ipsam sceleris voluntatem captivæ, nec longè post rogo impositæ & concrematæ satis probatum legitur in der Statt Franckfurt Historischem verlauff p. m. 270. De l. 1. ff. de sicar. videatur D. Bocer. dict. tr. lib. 1. c. 3. n. 33. & seqq. Sic leg. 1. de extr. crim. adhuc hodie vigere attestatur d. Berlich. 5. concl. 27. n. 68. per Constit. Carol. artic. 119. So sich aber solches obgemeldes Mißhandels freventlicher vnd gewaltiger weis gegen einer unverseumbden Fräwen oder Jungfräwen vnderstünde vnd sich die Fräw oder Jungfräw sein erwehrte: Sic attentatum mastruprationis facinus etiam apud Turcas mortis supplicio fuisse Constantinopoli vindicatum legimus in Itinerario quodam Constant. de anno 1617. die 16. Maij, & ita inter barbaros etiam conatus ratione haberi. De cæteris qui quicquam negaverint, probandi oneri iusti eos supponimus.

THESES. VII.

Neque Carolino jure, (a) communi derogatum esse juri in hoc casu putamus. (b)

- A. (a) Scilicet per artic. 178. ut putat Bocer. d. tr. lib. 1. c. 3. num. 159.  
B. & seqq. ubi ordinariam in extraordinariam mutatam esse innuit. (b) imò per artic. 104. d. Constit. juris communis observantia insuper stabilitur. Confer Ord. Cam. de anno 1555. part. 3. t. ult. Idque in definitis casibus. In cæteris audiendus sc est artic. der P. H. D. 105. Ferner ist zu merken / in was peinlichen fällen oder verflagungen die peinlichen Straffen in diesen nachfolgenden Articlen nicht gesetzt oder genugsam erkläret oder verständiget wehren / prætor judicesque, si crimen expostulat, alios consulant, quo in hujusmodi casibus ignotis & raris (i. e. juri communi incognitis) juri nostro Cesareo (i. e. communi) & huic Constitutioni par conformequè agatur ac pronuncietur. Ratione eâ: Wann nicht alle zufällige Erkandnus vnd Straff in dieser Ordnung genugsam mögen bedacht vnd beschrieben werden.

Quo



Quo casu iudex ad similia procedere tenetur juxta l. 12. & seqq. ff. de legib. ad lenitatem tamen plerumque pronior sit per l. 11. & penult. de pen. Nicol. Vigil. in Const. crim. 6. 2. q. 5.

THESES. VIII.

Temperamentum autem Clementiæ adhibendum, in ijs, qui ex ignorantia forte, (a) furore, (b) fragilis ætatis, (c) aut alius vitij (d) lapsu peccasse visi sunt.

(a) Non omni. Bald. & Angl. in l. sicut C. de prescript. 30. ann. Wefenb. parat. de jur. & fact. ignor. Beat. Ambros. in Can. illa cavenda. c. 15. q. 1. mala, inquit, non esse, nisi quæ crimine mentem implicent & conscientiam ligent. Quomodo enim reus constitueretur is, qui nescit, quid faciat, nedum quid vel quale cogitet. c. 5. C. 15. q. 1. (b) l. 12. ff. de sic. ubi furiosum fati infelicitatem excusare Modestinus ait, vide etiam l. 9. ff. de parricid. §. item furiosi. l. quib. non est perm. fac. test. l. 5. §. 2. ff. ad l. Aquil. Bocer. d. tr. n. 4. & seqq. & d. Can. illa cavenda. c. 15. q. 1. (c) cum distinctione, quam adfert Jod. Damhaud. d. pr. c. 84. n. 33. per l. 23. ff. de furt. l. 2. §. 19. ff. vi bon. rapt. l. 22. ff. ad l. Cornel. de fals. l. 3. de injur. vide Gell. 11. noct. atr. o. 18. & Bodin. lib. 6. de Republ. (d) vel virtutis, de quibus videatur præd. Bocer. lib. 2. c. 3. n. 179. p. m. 196. De Ebriis, dormientibus noctambulonib⁹ idem videatur lib. 2. c. 1. n. 42. & seqq. item n. 8. & seqq. Et Treut. vol. 2. disput. 32. th. 6. Rectius hæc quæstio ad secundam conatus speciem refertur, cum hisce casib⁹ nullibi fere notatus reperiat, quamvis Bodin. lib. 2. de Rep. nobis hominem quendam furiosum exhibeat, qui, cum Henricum Regis Gallia Francisci filium evacuato gladio occidere velle videretur, capitis pœnas dedit contra l. 12. de sicar. & l. 9. ff. de parricid. & d. C. 6. c. 15. q. 1. At exemplo hic magis quam legibus dicerem fuisse judicatum, contra l. 13. C. de senr. & interl.

THESES. IX.

Sed quæritur: An pœna capitalis (a) in pecuniariam jure converti possit? (b) Et quid de conatu eo in casu dicendum? (c)

(a) Non tam de jure civili & gentium, sed & morali seu divino vide D. Reink. de reg. sec. lib. 2. c. 2. n. 2. & 6. (b) Dd. in statuto: quo homicidæ doloso pecuniaria tantum pœna imponitur, rationabile sit nec

A.

B.

C.

D.

A.

A.

B.

A.

nec

D. Wal-  
timus,  
d, ubi  
s, disse-  
ncl. 24.  
quam-  
e, qua  
am sine  
aptiva,  
legitur  
i. ff. de  
de extr.  
68. per  
Pishan-  
umbden  
Jung-  
s etiam  
tum le-  
Maij, &  
ai quie-  
  
ni de-  
b)  
um. 159.  
(b) imò  
stabili-  
definitis  
Ferner  
ote peim-  
oder ge-  
crimen  
& raris  
muni)  
ncietur.  
er aff in  
verden.  
Quo





999  
nec ne variant. De quo vide Ludov. Carer. *pr. crim. tit. de homicid.*  
*c. 90. n. 18. & seqq.* Covarruv. *var. resol. cap. 9. n. 1. & seq.* Matth. Col.  
*tr. de process. execut. part. 1. cap. 9. n. 55.* Quicquid dicant alij, sufficiat  
mihi *Can. pauper. 11. q. 3. ubi innuitur*: Citò auro violari justitiam, nul-  
lamque reos pertimescere culpam, quam redimere nummis possint.  
*Panorm. c. 2. n. 2. X. de delict. pueril.* Facile enim ad culpas itur, ubi est  
pœnæ venalis ignoscentium gratia. *Ænob. lib. 7. advers. gent.* Deinde  
statutum legi generali, etiã humanæ contrarium, robur nullũ habet.  
*unic. C. de Colleg. t. pen. P. S. D. l. 3. §. 5. ff. de sepul. viol. Treut. d. disp. 23.*  
*th. 5. fin.* Tertio etiam, quod legi divinæ contrarietur *Gen. 9. Levit. 24.*  
Et ita in alijs. (c) Dicendum tamen ex consequentiæ necessitate cona-  
tum, in casu mutata delicti perfecti pœnæ, immutatum etiam cense-  
ri. *Dh. D. Tabor d. Specim. th. 74.* De statuto amplius dico, quod  
pœna delicti perfecti ad imperfectum delictum extendenda non sit.  
*Francisc. Person. tr. de Gabell. n. 19. Berlich. p. 4. concl. 27. n. 74.* Secus si  
expressè idem fuerit notatum, ut in *der Statt Franckf. Reformat. p.*  
*10. A. 1. §. 15. ibi: Oder ab jhrer Wacht zu treiben sich vnderstehen.*

T H E S. X.

Alter a conatus species priori per omnia  
fermè (a) similis est, nisi quod formam  
suam ab evidentia facti habeat. (b)

- A. (a) Sive causam efficientem, sive materialem vel finalem, sub-  
jectum item ac effectum inspexerimus, eã tantum differentiã, quod  
ut plurimum facti fiet, h. e. formalem causam ab evidentia facti faci-  
norosi habeat, non verò à legis prædefinitione, h. e. ut, antequam  
contigerit, eadem conatus species in lege prædefinita, ac determinata  
ejus pœna in jure non conspiciatur, quamvis non negem, multum  
eam insuper juris, ubi sc. judex arbitrium suum fundet, habere.  
Notandũ ergò hic pœnam posse vel extendi vel minui juxta *l. 11. ff. de*  
*pen.* quod in altera nullatenus admittitur *supr. alleg. leg. th. 2. lit. C.* Et  
cum, quemadmodum in alijs, ita & in his terminis leges ita scribi non  
potuerint, ut omnes casus sigillatim, articuli que legibus includi qui-  
verint *l. 20. & l. 22. ff. de legib.* justè supplicium pœnaq; judicis arbitrio  
aliquando committenda erit. Quem in finem Gloriosiss. Imperator  
Carol. V. *artic. 178. atque 105. in der P. S. D.* laudatissimè consti-  
tuit, ut judices scilicet informet, quid prædictis casibus, ubi sc. pœna  
seu conatus in jure expressus non est, faciendum ijs fiet. (b) h. e. cujus  
actus



actus vel factum quidem facinorosum est, atque manifestò apparet, ad delinquendum illud fuisse directum, nullo tamen vel jure scripto nominatim & expressè definitum, vel cujus pœna ejusmodi facti imperfecti nulla, lege præstituta, invenitur, ita tamen, ut factum in foro excusabile non sit, sed ad nocendum directum fuerit.

THESES. XI.

Hæc delicti species cum priori etiam vel in gravioribus vel levioribus delictis (a) animadvertitur, (b) cujus tamen extraordinaria (c) seu arbitraria, (d) pœna est.

(a) De quibus consule Dd. qui in suis commentarijs criminalibus eorum commemorant. Damhaud. *cap. 60. & seqq. & allegatos*. Faciliores tamen judices in levioribus ad remissionem, quam pœnae inflexionem esse solent. (b) exempla possunt videri apud D. Henr. Bocer. *d. tr. lib. 2. c. 1. n. 59.* præ omnibus Damh. *c. 84. n. 13. & notabiliter c. 74. n. 16.* Treut. *d. disp. 32. th. 6.* Gail. *2. Obs. 100. n. 10.* Periculosius hoc casu judicium instituitur, quàm altero illo, ubi conatus in lege reperitur notatus, ut notat Vigel. *in d. const. c. 2. q. 5. reg. 1. per artic. 104.* ut etiã satius sit, juxta divum Trajan. impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare. *l. 5. ff. de pœn.* (c) cujus pœna nominatim statuta non est, & ubi insuper extraordinarium proceditur, videlicet, quando omnia requisita processus non observantur, ut notat Damh. *c. 3.* Criminalistis vulgò eadem definitur, quam judex ipse ex proprio arbitrio infert atque imponit, non ex legum principumve constitutione, aut inolita consuetudine *c. de causis. 4. §. illis. extr. de offic. jud. deleg.* quibus enim nulla specialis pœna rescriptis principalibus aut canonibus imposita est, causâ cognitâ liberum erit arbitrium statuendi ei, qui cognoscit *l. 1. §. 1. ff. de effract. & expil. per l. 1. ff. de jur. delib. & ita nihil differt ab arbitraria.* (d) non absolutè sed alligata ad legem *l. 13. ff. de pœn.* Diligenter enim ad legem illam (JCTis dictam Philosophicam) *Perspicendum. 11. ff. de pœn.* monente Justino Goblero *in d. l. comm.* (quem præd. Damhaud. ob sua eximia commentaria super Constit. Carol. V. criminal. virum variæ multæq; lectionis maximo-perè commendat, *cap. 111. n. 12.*) respiciat judex, ne quid aut severius, aut lenius in reos criminis statuat, seque non hominis, sed Dei judicium exercere consideret *Deut. 17.* Ideoque tantum abest, ut judicis

A.

B.

C.

D.

C

arbi-



arbitrium in irrogandis pœnis absolutum, ut potius à lege, & secundum ejus dispositionem limitatum, jure quoque ac ratione regulatum illud, firmis rationibus asserant post alios, Menoch. *lib. 1. de arbitr. q. 77. n. 1.* & Ant. Planc. *tr. de indic. n. 42.* Inde Magnanimi Hassiæ Principis Philippi JCT. Jacob. Lersnerus, quem Oldend. citat, in præfens veriverbium concessit: *das Recht ist ein redlich Mann/aber der Richter ist bisweilen ein Schalef* / quod cautelæ loco probè notandum.

THESES. XII.

Prædicta species consideratur, (a) vel quatenus est proxima (b) consummationi, (c) vel remota: (d) Illic gravius, (e) hic levius (f) peccatur.

- A. (a) Non prior; quippe quæ distinctionem hanc non recipit, magnâ Dd. catervâ reclamante. (b) quæ proximitas sine omni dubio pro ratione & diversitate delictorum suos etiam jure gradus habet. (c) i. e. facto perfecto. (d) remotissima etiam in crimine læsæ Majest. punitur, uti conjici licet ex particula (*cogitaverit*) toties in *l. 5. C. ad Jul. Majest. repetita.* (e) quotiescunque enim non fiat per aliquem, quò minus actus impleatur, habetur pro impleto. Gail. *de P. P. c. 14. n. 8.* Jod, Damh. *cap. 96. de crimine Sodomitico. p. m. 216.* Wesenb. *parat. de sicar. n. 16.* Treut. *disput. 32. vol. 2. th. 8. & allegat. ibid. Const. in der P. H. Ordn. art. III. cum Dan. Moller. 2. semestr. 33. peccatur* quippe hîc, ac si delictum consummatum esset. (f) putant quidam hanc immunem abire conatus speciem. Bocer. Farinac. cum sequacibus, sed plenius thesi sequente.

THESES. XIII.

Proximitas hæc, vel nunquam, (a) vel raro (b) à pœna excusat; remotus consummationi actus in terminis pœnam egreditur.

- A. (a) Videlicet in atrocioribus delictis. Inde de Sodomitico crimine Damh. *cap. 96.* ait, in eo non requiri operis consummationem aut seminis ejaculationē, sed ad pœnitentiam voluntatem proximam, vel conatum actui proximum sufficere; ita, ut rem perfecisset, si potuisset.



potuisset. Et ita in alijs. (b) si non ita proximus fuit conatus consummationi, vel etiam certo aliquo modo fuit impeditus, antequam in cognitionem judicis res pervenit.

THESES. XIV.

Maximum pœnitentia remedium excusationis est, quando nimirum quis (a) à proposito (b) delinquendi desistit. (c)

(a) Vel formidine infligendæ pœnæ, vel concepta animo impossibilitate perpetrandi, vel divinæ vindictæ supplicio, aliove quovis modo territus, aut impeditus à malefaciendo desistit, animumque malitiosum mutat, & ita propositi vel in nullum externum, vel leviusculum saltem actum traducti, tempestivè aliquem pœnitet. (b) latè sumpto, ut etiam casum, quem refert Damhaud. c. 61. n. 89. contra juris tenorem receptum esse, de poculo amatorio, includat. (c) secus in casibus à lege expressis de pœnitentia dicendum, & in delictis jam consummatis l. 65. ff. de furt. Berlich. conclus. 44. num. 73. & par. 4. concl. 24. n. 37. de incendiariis.

THESES. XV.

Subsequitur autem pœnitentia delictum, (a) vel præcedit; (b) hæc excusationis tribunal fundat simpliciter: (c) illa cum temperamento: (d)

(a) Imperfectum. (b) nullo externo dum secuto actu. (c) l. 18. ff. de pœn. c. 14. dist. 1. de pœnit. Cogitata siquidem scelera neque Ecclesiæ subjacent, nedum Curix. Covarruv. ad Clement. si furiosus. de homicid. 2. p. Secus in foro Poli. t. t. dist. 1. de pœnit. (d) ita, ut si contactus aliquis, post consummationem alicujus externi actus, pœnitentiâ ducatur, & ita nolens volens ab actu destiterit, effecisset etiam, si potuisset, plenè actum; Et hunc immunitatis asylo gaudere minimè puto. Aliud de eo dicendum, cujus principium aliquod externum privatum, pœnitentiæ causam dedit.

THESES. XVI.

Quid ergo? (a) An & in conatu à lege notato

C 2

tato

247

B.

A.

B.

C.

A. B. | C.

D.





tato pœnitentiam audiri dicemus? (b) an ve-  
rò hoc altero saltem casu? (c)

- A. (a) Non ergò de pœnitentia delicti consummati etiam hic agetur? Non, nisi incidenter. Dicendum ergò, pœnitentiam audiri aut ex legis dispositione, aut ejus permissione, beneficio judicis: De priori casu loquitur *l. 4. §. 6. C. de heretic. & l. imperialis. 13. C. de nupt. Menoch. lib. 2. de arbitr. cas. 464. n. 24.* De posteriori videri potest D. Berlich. *d. d. concl.* aliquando pœnitentes non audiuntur, ut in *l. 17. §. 1. de Ædil. Edict. l. 65. ff. de furt.* in quam legem Bartol. qui tenetur, inquit, ex delicto originaliter pœnali, non liberari eum pœnitentiâ. *l. pen. ff. vi bon. rapt. l. 43. §. non solum. ff. de rit. nupt. l. 3. §. lege julia: ibi feceritque. ubi gloss. ff. de testib.* Notabiliter in *l. 3. C. de Apost.* quibus pœnitentiæ remedio succurri debeat, quibus non, sancitur. (b) Non; nisi vel ipsa in lege excusatio, virtute pœnitentiæ, audiatur, putant tamen Dd. quos allegat D. Berlichius *dd. loc.* ad emolliationem pœnæ eam multum prodesse; Remissioni ego hoc loco nulli subscribo. (c) multum eam operari, modò dictum est, &, ut plurimum, in hac conatus specie, tamen rigorem non animadverti, quàm in altera, propter *l. pen. & l. 11. de pœn. & cap. 15. de R. I. in 6. nisi exemplum fortè statuendum veniat. l. 6. §. 3. ff. de re milit.*
- B.
- C.

THESES XVII.

Sed an subsidiarium Prætoris auxilium hanc legis civilis duritiem, beneficio restitutionis in integrum, paululum emollire non poterit?

Vix admittere emolliationem videtur *l. auxilium. 37. de minor. & cum Prætor sit custos juris civilis, contra ejus prohibitionem tentare nihil valet l. 1. §. fin. ff. ex quib. caus. major. neque nisi ex magna & urgentissima causa ipse Princeps contra legis auctoritatem alicui succurrere voluit l. 9. l. 10. ff. de minorib. l. pen. C. de precib. Imp. off. Dubium sane movere posset & l. 16. ff. de minor. eo casu, ubi aliquid est permissum jure civili, prætoris nos auxilio non indigere, Quid ergo? anne quando non est prohibitum; ita scilicet colligitur ex *l. 28. §. 2. ff. ex quib. caus. major. Damhaud. cap. 84. n. 13.**

THESES.



Quid si integritas rei præsto sit? an & tum  
pœnitentiæ locus?

Prodesse pœnitentiam, inquit Berlich, ad emolliendam non  
abrogandam pœnam *p. 5. concl. 44. n. 69. & 70.* præfertim in illis de-  
lictis, ubi res in integrum statum post consummationem alicujus  
actus restitui potest. Unde furem, qui rem restituit domino, de pa-  
tibus non esse suspendendum, autoritate comm. Dd. probat. *par. 4.  
concl. 24. n. 37.* Præmemoratus Casista, conatum in peccato contra  
naturam, actui proximum, quamvis res dum integra sit, indifferen-  
ter ac ipsum consummatum crimen puniendum esse, scribit *per l. se  
quis. C. de Episc. & Cler. l. 1. ff. de Extr. crim.* De mandante crimen,  
videatur C.I.A. *de sic. th. 4. n. 4. post med.* Huc adjici potest casus *l. 5.  
fn. C. ad l. Jul. Majest;* Ubi matura tamen manifestatio insuper re-  
quiritur. Henr. Bocer. *d. tr. lib. 1. cap. 4. n. 85.* simpliciter dicit pœni-  
tentiam nullo modo à pœna excusari. Puto ego, hoc casu & hac  
ultima conatus specie indemnitate rei ad emolliationem & remis-  
sionem pœnæ multum juvare. *arg. l. pen. ff. de pœn.*

Coronidis loco, cum omnia in legibus  
expressa tam strictè servanda sint, quæritur:  
an pœnæ speciem, in jure communi deter-  
minatam, hic vel illic loci judici mutare li-  
ceat?

Ad quam quæstionem cum Gloriosiss. Imperatore Carolo V.  
*in articulo 104. in der W. H. D. respondemus: Wann vnser Kayser-  
lich Recht / etliche peinliche Straff sehen / die nach gelegenheit dieser  
zeit vnd Land vnbequem / vnd eines theils nach dem Buchstaben niche  
wol möglich zu gebrauchen wehren: darzu dieselben rechte form vnd  
maaf eines jeglichen peinliche Straff nicht anzeigen / sondern nach  
guter Gewohnheit vnd Erkandnuß verständiger Richter befehlen /  
vnd in derselben Willkuhr sehen / die Straff nach gelegenheit oder  
Erkandnuß der Vbelthat / auß Lieb der Gerechtigkeit vnd vmb gemei-  
nes nutzens willen / zu ordnen vnd zumachen. Et articulo precedenti:*

C 3

Aber



817  
Aber sonderlich ist zu merken / in was Sachen oder derselben gleichen  
unsere Kaiserl. Rechte keinerley peinliche Straff am Leben / Ehren/  
Leib oder Gliedern setzen oder verhängen / das Richter vnd Brheiler  
darwider auch niemand zum Todt oder sonst peinlich straffen. Quævis  
etenim ratio peculiare ferre puniendi ritus habet. Italia bestijs  
objicit fontes, aut rekte guttur frangit. De quo ritu vide exempla  
apud Gell. lib. 5. cap. 14. Britannia securi: Germania gladio, rotâ, pa-  
tibulo, rekte, forcipibus ignitis, immisione in flumen, rogo vel alio  
cruciatus genere ferit fontes. Et suos cuique nationi mos in malefi-  
cijs puniendis, nec unum genus mortis veteres invenere Tyranni  
Justin. Gobl. in auct. ad l. ii. ff. de pæn. fin. ad quam legem, tanquam  
Philosophicam, diligentissimè respiciendum esse iudicibus consuluit,  
ne quid aut remissius aut durius, quàm causa deposcit, constituatur,  
vel affectetur severitatis aut clementiæ gloria.



AD PRAECELLENTEM ATQUE  
DOCTISSIMUM DN. DOCTO-  
RANDUM

*Justitia Bellona ferox quatit usque Tribunal,  
Subque armis legum vis, sed adacta, silet:  
Imò etiam fex torva hominum quatit usque Tribunal,  
Prætextu belli, jugiter hocce Sacrum!  
Nec quoque cessabit, si cessent bella, tribunal  
Concutere adversus facta nefanda potens.  
Vindicibus quapropter egetque, faverque tribunal,  
Justitia, reliquis grande columinibus,  
Quos societ forsan casuris fata timescens,  
In re oculos dudum fixit habetque suos,  
BADERE, egregia doctrina smegmate promte,  
Dum quidvis aliud vis, sequerisque diu,  
Aque foro procul in latebras cessisse videris!  
Sed magnes oculorum acrius urget opus!*

Justi-



Justitia te norma illi, te dedere cogit.

Dedito, victor eris deditioe potens.

Scribeb. honoratissimo amico meo

Joh. Georg. Dorscheus D.

Acad. h. t. R E C T O R.

119.

**C**ONATUS, Badere, tuos, conarer, ut æquum est

Ac optas, verso concelebrare stylo.

Conatûs at Apollo meos frustratur, iniquus

Illis, rarenter qui sua sacra colunt.

Ergo, quod superest, placeat præ carmine votum,

Quod nunc, substituens mente favente, precor:

Quos pietas, labor, & doctrina merentur honores,

Ut fausti obtingant fideris auspicio!

Quò patriæ studijs majore præesse decore;

Lataque conjugij fœdera inire queas!

*Adfectus restandi causa scr.*

Johan-Otto Tabor D.

**B**ADE RE, privati sciens & publici

Juris, sacrata pariter & cultor Themis,

Mihique dudum amore junctæ candido;

Dum doctè summis, disseris feliciter

Honoribus mox assequendis; adprecor

Laudabili tali tuo Conatui

(Nempe Actui Doctoreo nunc proximo)

Propitia Fata, simulque prosperum Exitum!

Georgius Obrechtus D. J. V.

**Q**uos tua Conatus delicti Musa reprêndit:

Hos mea votivo carmine ritè probat.

*Ita Affini suo animitus dilecto*

*properante calamo*

*accinebat*

Johan-Albrechtus Jorman,

Actuar. Francof. Reip.

Justi-



*P*remia larga manent doctos enigmata juris  
Solvere, qua Legum prima elementa docent.  
Hac Tua Musa diu meruit, BADERE, perita:  
Namque datum specimen saepe, probavit eam.  
Ergo, dum misces, magnos laturus honores,  
Pralia, sis victor: sic TIBI crescet honor!

Sic aliquando Domino suo Praeceptor  
domestico jure meritoque  
gratulatur

Johannes Thomas Eberhard,  
Mæno-Francofurtanus.

F I N I S.



Georgius Othrichus D. V.

Hos tua Conatus delicti Mula rependit:  
Hos mea votivo carmine rite probat.  
Ira Affert suo munere dilecto  
progenies calamo

Johann-Albrechtus Jorman  
Agnus Francof. Reip.

P. 404






X 2615889

VD 17












B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO INAUGURALIS 108.  
DE 1645, 1.  
**CONATU PUNIBILI**  
*Quam* 22  
Divinâ assistente gratiâ, X  
*Authoritate & Decreto*  
NOBILISSIMA MPLISSIMIQUE  
CTORUM ORDINIS, IN CELEBERRIMA  
ARGENTINENSIIUM UNIVERSITATE  
*Pro summis in Utroque jure cum honoribus,  
tum privilegiis doctoralibus consequendis*  
Publicæ ac solenni disquisitioni subijcit  
*Die 28. Augusti*  
WOLFGANG-THEODORICUS BADERUS,  
GEMMINGENSIS.  
  
ARGENTORATI,  
Typis FRIDERICI SPOR.  
M. DC. XLV.